



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlm XVIII. Ex parte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

## De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus. 505

narij aut Canonici majoris Ecclesie Mediolanensis facere renuant, & subsidium ad expensas faciendas denegent, ut adeo ipse in procurationibus faciendis plus a quo onerentur. Respondet proinde huic querelæ Pontifex, nullam te Ecclesiam ab harum procurationum præstatione, Nuntijs, & Legatis Sedis Apostolicae faciendarum, velle eximiam, nisi speciale privilegium, super hac exemptione habeat, de quo merito dubitari debet; ita ut nec præscriptione juvari possint, contra visitantes, etiamsi congruo tempore nullam procurationem præstiterint cap. Accedens 15. Et cap. cum officij de præscriptione, sicuti enim contra jus visitandi præscribi non potest, ita nec contra jus procurationum, occasione visitationis præstandatum, cum connexorum sit eadem ratio.

### SUMMARIUM.

Hac constitutione aliquatenus est correcta. Notandum est, hanc constitutionem de jure communii procedere, cuius correctio in Trid. est facta, ubi sff. 14. c. 3. de reform. deciditur, procurationes tales præstandas non esse, ubi nulla eorum dandorum viget consuetudo, sed omnia gratis fiunt, prout cap. 5. hoc tit. jam notatum.

### CAPITULUM XVIII.

#### Ex parte.

##### PARAPHRASIS.

Voverunt aliqui in Archiepiscopatu Compostellano, solvere Ecclesijs certas frumenti mensuras, cum autem in illis partibus diversæ mensuræ, maiores aliae, & aliae minores essent, neque ex voti verbis colligi posset, de qua mensura votum fuerit factum, quarebatur ex Pontifice, ad quamnam mensuram essent obligandi, qui votum tale fecerunt? Res-

spondit ille, ab his, qui vota illa, juxta communem modum Patriæ illius, quam emptores & venditores observare solent, continuo solverunt, modum illum, & mensuram continuandam: qui vero nunquam primum solvere incipiunt, sed quod longo tempore intermisserint, cum non constet, ad quam mensuram maiores illorum, & antecessores se obligaverint, ad solutionem compellendos, quam communiter observant omnes: si tamen alij communiter etiam juxta varias mensuras sua vota expleant, ita ut hi juxta maiorem, alij juxta minorem mensuram solvant, ab his licere juxta minorem mensuram sua haec vota persolvere.

### SUMMARIUM.

*Voti materia, si non est voto determinata, ex consuetudine populi defumenda est.*

Notandum. Rectius patere hujus juris explicationem ex Theologia Morali de Votis; ubi passim docetur, à communii & recepta præsenti, ac totius communitatis, vel majoris partis consuetudine defumendum, quæ quantitas, aut mensura, si voto determinata non sit, ad expletum votum sufficiat. Vide l. 4. tr. 4. cap. 3. ubi num. 3. dicitur, strictam interpretationem in materia voti faciendam, si dubium circa illam oriatur; & *Glossa in notatis* dicit, cum vota hujusmodi gratuita fuerint ab initio, benignius esse a viris Ecclesiasticis exigenda, & ne tanquam exæctores videantur lucris temporalibus inhibere, ac ipsorum avaritia munificentia erga Ecclesias retundatur.

### CUM OLIM.

##### PARAPHRASIS.

Episcopus Cesaraugustanus imperebat Abbatem aliquem, ratione Ecclesiarum duarum possessorum ab Abbatore, petendo ilorum sff